



SPICILEGIUM HISTORICUM

Congregationis
SSmi Redemptoris



Annus III 1955
Collegium S. Alfonsi de Urbe



IMMACULATA CONCEPTIO B. MARIAE VIRGINIS
IN DOCTRINA AC PIETATE
S. ALFONSI EIUSQUE PROLIS

RELATIONES SODALIIUM C.S.S.R.
IN CONGRESSU MARIOLOGICO - MARIANO INTERNATIONALI
ROMAE A DIE 24 OCT. - 1 NOV. CELEBRATO

PRAEFATIO HUIUS FASCICULI

Anno « marianó » 1954, inter oratores Congressus Mariologico-mariani sodales s. Patris Alfonsi deesse non potuerunt, immo sectio specialis formata est Praeside ipso R.mo P.e Rectore Maiore et secretario Pl.RP.e I. Pedrero, ut participatio nostra in hymno laudis BMV. dignior et amplior fieret.

Post debitam praeparationem a delectis viris ad hoc designatis (Pl. RP. Pedrero, RR.PP. Wuenschel, Tellería et Gregorio), R.mus P. Generalis notitiam de nostra praesentia et de orationibus fratrum nostrorum dedit per *Communicanda* N° 2 (10 VI 1954) omnibus bonum exitum commendans (1); orationes lectae sunt in aula Collegii nostri s. Alfonsi de Urbe, diebus 25 et 26 oct.; solemnitatibus autem Congressus vix absolutis, brevis datus est conspectus rerum gestarum (2). Consilium quoque initum est de publicandis Oratorum nostrorum sermonibus, non tantum in editione quam « officialem » vocant, sed quam primum ad usum utilitatemque nostrorum sodalium — sicuti etiam factum est pro lectionibus in Congressu an. 1950 (3)—, et quidem in publicationibus nostris historicis.

Historicis, diximus, cum argumenta a nostris tractanda speciem disquisitionis historico-theologicae praebere debuerunt. Primo momento quidem credidimus, ex collectione dictorum sermonum volumen nostrae *Bibliothecae historicae* formari posse (4), sed rebus accuratius inspectis rationibusque ordinis technici et practici inducti, melius esse putavimus ordinarium fasciculum *Spicilegii historici* argumentis in dicto Congressu a nostris expositis dedicare. Relationes non exhibentur ordine quo lectae sunt (die 25: RR. PP. Wuenschel, Cacciatore, Becqué, Luis; die 26: RR.PP. Capone, Oomen, Tellería, Hitz, Gregorio), sed ordine potius systematico in quantum magis

(1) *Analecta C.S.S.R.* 26(1954) 81-83.

(2) RIS 6(1954) 269.

(3) *Pietas alfonsiana erga Matrem gloriosam Mariam. Relatio actorum in C.S.S.R. sectione Marialis Congressus 24-26 oct. 1950, Romae habiti*: Lovanii, Bibl. Alfonsiana, 1951; 8° (23 x 15,5), 189, ill.

(4) *Spicilegium historicum C.S.S.R.* 2(1954) 467-468, 470.

doctrinam vel pietatem spectant, prioritatem cedentes illis lucubrationibus, quae propius subiectum Congressus generalis attingunt.

Appendicis instar adnectimus lectiones quae a fratribus, sed non in nostra Congressus sectione peculiari, prolatae fuere: RP. Santonicola in Sectione Pont. Academiae Immaculae Conceptionis, die 25 oct.: RP. Fries in Sectione linguae germanicae, eodem die; RP. Luis in Sectione Societatis Mariologicae Hispanicae, die 26 oct.; RP. Connell, die 25 oct. et RP. Rush, die 26 oct. in Sectione Universitatis Catholicae Washingtonensis (duo tamen ultimi non adfuerunt).

Hoc modo integra collectio omnium nostrorum in mariologico-mariano Congressu sermonum quam primum oculis sodalium submitti potest, ut memoria non indigna maneat solemnibus anni mariani, operisque mariani quod s. Alfonsi Congregatio, tantum Patrem fideliter secuta per duo saecula explicavit, nec desistet explicare in posterum.

SOCII REDACTIONIS